

CLII.

U. 75 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. 4. currente calamo perscriptus, et rubricis enotatus Commentarius est in *Ecclesiasticum* hujus initii: *Summi regis palatium in quatuor consummatur, hoc est, in fundamento et parietibus, tecto et ornato interiori &c. Rabano*, quo plurimum utitur, etiam *Prologum* sublegit, et tertio loco posuit Autor, denique ita concludit: *Vna autem alarum istarum fuit iste ihesus filius syrach — alia autem ala est ysaias, quem post illum librum iuuante domino proponimus nos lecturos. Deo gratias.* Accedit Index rerum alphabeticus. Thecae anteriori inscriptum: *Egregius pater sacre theologie ac arcium liberalium doctor preclarus ecclesie Wienn. Decanus atque canonicus predignus Magister Paulus de Mellico ad Collegium Ducale Wien. hunc librum testatus est. Et supra: Anno domini &c. 48. propter deum ad consilium Magistri Vrbanus plebani in Stain. An is Urbanus de Mellico Nostri Pauli conterraneus, qui positus a. 1435. Academiae fascibus fortasse facer illius Urbeculae non procul a communi patria, sed ultra Danubium sitae Curio effectus fit, ejusque suasu Paulus Ecclesiasticum exponendum sumserit? Locheri Speculum Acad. illi annum 1442. huic vero 1479. e-mortualem adsignat. Dorsum Codicis quidem Paulum Expositionis autorem facit; verum quomodo eam a. 1448. aut orsus est, aut*

perfecit ad consilium hominis a. 1442. demortui? Itaque vel annus *Locheri* in mendo cubat, vel Codicis dorsum fallit. Conspicuum ceterum inter Patres Academicos vir erat *Paulus*, ut ejus ad Synodum *Passaviensem* a. 1470. missio, et quater gestus ab a. 1451. ad a. 1471. summus Magistratus testatum facit.

CLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 135 Folior. nunc 276. f. per duas columnas exaratus, rubro distinctus, et, ut praefert, *deputatus Thoma de baslpach operante pro libraria ducalis Collegij in wyenna ab honorabili viro Vrlico presbitero Prebendario in Kotwico, dum adhuc viueret, sed qui 1440. de mense Aprilis obiit, vastum, et VIII. Libris constantem Commentarium in Isaiam exhibet, inscriptum: Incipit Prologus Eruegij super ysaiam. Eruegium hunc Herveum intellige O. S. B. Monachum Dolensem in Dioec. Bituric. Sec. XII. Scriptorem, quem Codex Campilipejus in Curveijum corruptit teste Bern. Pezio in Dissert. Isag. T. III. Tbes. Anecd. qui dicto T. Opus nostrum typis repraesentavit, praevidelic res et scripta *Hervei* solerter, ut solet, executus, unde manum abstinere, id notare contentus: defuisse in Viri Codicibus Prologum, qui nobis ita inchoat: *Ysaias filius amos non illius prophete sed alterius, qui simili nuncupatur nomine, ille enim ex ministerio pastorum fuit de opido thecue, Hic autem genere nobili**